...rot | V. Dictionnaire des Syn...

SIMONIS SIMONIDÆ
IMAGINES
DIÆTÆ ZAMOSCIANÆ.



ZAMOSCI
Martin. Lenſcius Acad. Typogr. excudebat.
Anno Domini M. DC. IV.

ILLVSTRISS. PRINCIPI IOANNI DVCI IN OSTROG CASTELLANO CRACOVIENSI.

ANDREAS SREDZINIVS S. D.

PRo ea familiaritate, quæ mihi quotidiana eſt cum Simone Simonida, fortè ſcidas eius vnà reuoluebamus; in quibus reperimus Elegiã quandam titulum Imaginum Diætæ Zamoſcianæ præferentem: quam cùm auidius relegerem, cauſamq́; & tituli & carminis ab eo perquirerem. Optimi dierum, inquit, eſt hoc ἀνάθημα; atq; adeò ætatem iam habet: ante decenniũ enim ſcripta eſt. Cùm Barbaram Tarnouiam nuptam nouam Heroi noſtro parentes domum deducerent, atq; ille incredibili feſtiuitate ſoceros exciperet, imaginibus iſtis diætam in qua conuiuium apparabatur adornandã iuſſerat; vbi etiamnũ celeberrimo ſpectaculo viſuntur: eas tùm carmine illuſtrare voluptas mihi fuit. Enimverò ita, inquam, ſciebam, feſtiuita-

tis illius hæc fuisse ornamenta. de carmine tuo nonnihil inaudiueram; & laudari, causamq́; à nonnullis adferri, cur iam tùm editum non fuisset, memineram: nempe ista, quæ ex occasione de consiliis belli Turcici, à Sixto v. Pontifice Maximo cum Stephano Rege Poloniæ agitatis, adspersa sunt, ne inuidiosa apud vulgus illis temporibus forent, quibus post defunctos illos Heroas, societas belli Turcici, sæpius à nostris tentata, non coaluit. Nunc postquam dies iudicia hominum composuit, triconum ex numero, aut negligens nominis tui fueris, si fætui huic lucem negaueris. Quum non renuisset, cupido me incesſit Elegiã ipsã in publicum dare: idq; duplici ex causa. primùm, vt tam bello carmini vitam redderem: deinde, vt in memoriam apud præsens sæculum reuocarem, quanti momenti res à summis principibus instituta tùm fuerit: si fortè exemplo aut incitamento esse posſit iis, qui nunc ad clauum sedent. Porrò apud te Illustriss. Dux, deponendam putaui, non ingrato, quantum spero, munere; quum auorum tuorum Paterni atque Materni laudes contineat; quorum diuiniſsimam stirpem vt familia vestra immortalibus sæculis propaget, pro bono publico, etiam atq; etiam cupio. Zamoscij. Calen. Iulij. Anno M. DC. IV.

SIMONIS

SIMONIS SIMONIDÆ
IMAGINES DIÆTÆ
ZAMOSCIANÆ.

FEsta Zamosciades celebrat conuiuia Princeps,
Et renouat magnæ munera lætitiæ.
Qualia par soceris generum renouare vocatis,
Acceptæ lautum coniugis hospitio.
Dicite Pierides, neq; enim vos defore vestro
Heròi blandis addecet officiis,
Dicite, qua pompa, quo vos sistetis honore,
Quo cultu vester gestiet ire lepor?
Non ego vos credo, quæ pulchra modestia vestra est,
Inter conuiuas velle sedere viros.
Quà proceres, quà lectus eques, quà flos sedet omnis
Regni, quo nullum Sol videt eximius.
Non epulis duci vestrum est, non pocula plena
Siccare, aut mensæ quærere luxurias.
Non choreis, quanquam choreis Helicona soletis
Lustare, hîc operam insumere censuerim.
Talia Sarmatides melius ludicra puellæ
Præstiterint, longo syrmate Sarmatides.
Scilicet appensam ex humeris cytaramq; lyramq;
Sit potiùs vobis, aptaq; plectra fidi.

Ni, quòd fortè manu quoties tractastis eburnam
    Aut cytharam, aut curuæ grandia fila lyræ,
Magna Zamosciadæ queîs nomina iactarentur,
    Nomina cælorum proxima culminibus.
Semper se obtulerint Mauortia gesta canenda.
    Et quæ magna Heros præstitit arte togæ.
Vt leue sit munus molles resonare Hymenæos.
    Dum maiora vocant, pæne minora tacent.
Non tamen immunes, non mutas esse Camænas,
    Nec stando studium perdere velle decet.
Nec verò Heroum sunt maxima seria sola.
    In mediis splendent, seria multa, iocis.
At vos vel paries iam fecerit iste disertas.
    Inclyta qui paries picta habet ora virûm.
Queîs exornari noster sua gaudia Princeps
    Quæsiuit, causa non sapiente sine.
Huc oculos adhibete Deæ, huc deflectite carmen.
    Non procul à pictis carmen imaginibus.
Sic ego, sic Diuæ blanda sunt voce secutæ.
    Et digitum Clio verterat ad tabulas.
Hæc quæcunq; vides signata coloribus ora,
    Vultibus è viuis transtulit apta manus.
Atq; illi Diuûm numerum iam sedibus augent
    Aetthereis, vitæ post pia fata suæ.
Noster at his soceris gaudet lætissimus Heros.
    Affines virtus quos sibi vera dedit.

Hic

Hic qui ſubducto vultu, qui fronte ſeuera,
Viuacique oculo, caniciéque breui,
Imminet auratis foribus, laquearia ſubter,
Conſpicuus veſtis ſimplicitate ſuæ,
Hic ille eſt ingens Tarnouius, ille vel Indis
Cognitus, armigeræ munere militiæ.
Mox gelidos Marte indomito pulſare Triones,
Seu ſolitus Moſchum, ſeu ſolitúſue Scytham.
Atq; Gethē, innumeris quamuis Gethes ibat in armis.
Parua manus tamen hos fuderat innumeros.
Teſtes albentes conſtratis oſſibus agri.
Teſtis Obertini ſanguine pinguis humus.
Artis opus fuit hoc, Ducis & ſolertia ſumma.
Ars facilè immenſis viribus ora domat.
Nec minùs ille domi, ſi quando læta vocabant
Munia, paxq; rotis fulſerat in niueis,
Conſilijsq; opulens, rerumq; grauiſſimus auctor,
Et iuris cautus fræna tenere manu.
Ad noſtros idem facilis ſe flectere luſus.
Illius hîc primis creuimus auſpiciis.
Barbariemq; eluctatæ, cæcasq; tenebras,
Vidimus hîc noſtros molliter ire pedes.
Hoc patruo magno neptis nunc pulchra ſuperbit.
Quæ modò pulchra bono nupta Zamoſciadæ eſt.
O Pater, ô lux ſola domus, ô gloria prima.
Te, nomenq; tuum, fama perennis habet.

Inui

Inuida sed longam stirpem tibi fata negârunt.
Nam seruauit opes filia sola tuas.
Non tamen inferiore loco fortuna recepit
Se tua, nec titulis deteriore tuis.
Ostrouiis Ducibus, Ducibus queîs Russia auitis
Assurgit, cæptis vsq; ab originibus,
Filia connubij postquam concessit honore,
Transtulit ad generos remq́; domumq́; tuam.
Quare haud immeritò, vel cùm iam lumine functus,
Depicta tacitus cerneris in tabula,
Cernitur Ostrouius iunctus tibi maximus Heros,
Olim coniunctus militiæ studiis.
Constantine senex, tetrico te noscere vultu,
Et datur hac multo crine comante gena.
Tu Moschum frænare ferox, tu vertere turmas,
Doctus & hostili sternere cæde solum.
Millia quot celsam profligas victor ad Orsam.
Militis haud vllo vulnere pæne tui.
Quot vertis q́; acies, rapidoq́; in flumine mersas.
Quot captiua trahis colla prehensa Ducum.
Scilicet ante tuum nullo superabile bello
Magnanimum robur senserat ante Scythes.
Non bellare Scythes, non campo credere aperto,
Sed raptu, & volucri fidere suetus equo.
Tunc numero fretus, campestribus arduus aruis,
Olsanicza vago quà trepidat fluuio,

Ex-

Explicuit Mauorti aciem, pugnamq́; petiuit.
Sed citò quàm explicuit, tàm citò damna tulit.
Exuperat res gesta fidem, numerusq́; cadentûm.
Cum tamen è nostris vix manus vlla cadit.
Fortunate senex, cui se Tarnouia iunxit
Et domus & virtus, & bona spes generis.
Nunc super vsq; nouis surge auctior incrementis.
Tarnouiis iuncta gente Zamosciada.
Cuius vel summo virtus se exæquat Olympo,
Et splendor toto nominis orbe volat.
At sibi iam facies Stephani augustissima visum
Auocat, ô magni Regis imago mei.
O quàm dulce tuis saturari obtutibus, ô quàm
Os oculosq́; tuos cernere pervolupe est,
Et maiestatem reuereri, & figere mentem,
Et dium ex vultu nescio quid capere.
Sed tua facta modis tenuare ingentia paruis
Dedecet, aut curtis laudibus atterere.
Olim aliàs pleno liceat te dicere versu,
Inq; tuum nomen libera vela dare.
Nunc sat erit, quanto tu semper promptus amore
Heròëm in nostrum, quámq; benignus eras.
Maxima virtutem eximiam cognoscere laus est.
Nec minor, inuentam surgere velle pati.
Virtuti innixi pollentûm sæpe virorum
Vsq; polo Reges inseruere caput.

Ergò tuo emicuit ſplendore Zamoſcius Heros.
Nec minor ex illo lux tibi nempe data.
Hunc opibus, hunc tu titulis, & honoribus ornas,
Hunc dono magni deniq; coniugij.
Affini vt ſeſe tanto iactaret amico.
Nam virtus ſocero vel Ioue digna ſatis.
Sed cita mors & te nobis, & pòſt tua carpſit
Heu nimium viduo dona Zamoſciadæ.
Jlle tui careat licet, & te cælica regna
Diſtineant, curâ non caret ille tui.
Quin memori cultu, & merito te iuſtus honore
Proſequitur, quod eum magna iubet pietas.
Et tua ſeu duris ſeu rebus numina lætis
Rite adhibet, grato ſedulus officio.
Salue ô virtutum exemplar, decus addite Diuis,
Gloria regnantûm maxima, ſummus apex.
Sis felix, tibi perpetua ſe mente dicauit,
Æternùm immota mente Zamoſciades.
Quis verò hic mitra inſignis, pallaq; rubenti,
Purpureus capitis tegmine ponè ſui?
Frontis honore aſper, noſtri non ſanguinis eſſe,
Nec bellatorum de genere arguerim,
Pontificum potius, queîs aurea Roma ſuperbit.
Roma orbis victrix, Roma polo imperitans.
Jte humiles genibus, terræq; adſternite frontem,
Et pedibus ſacris oſcula prona date.

Hic

Hic ille est Quinti celeber cognomine Sixtus,
Incorrupti ingens præsidiis animi.
Quo rigida inuicto constantia gaudet alumno,
Approbat & solidi roboris imperium.
Non solitus curis tricari quippe minutis,
Nec leuia excelso voluere consilio.
Sed mente immensas orbis complexus habenas,
Scilicet immensi Pastor vt orbis erat.
Quo pax tuta foret, quo Christi gloria sarta,
Barbarus atq; hostis desineret furere,
Hoc studium pernox, hoc peruigil ille gerebat.
Hanc vnam ardenti corde coquebat opem.
In te Turca fremens, in te tota igneus ira,
Perpetuis in te viribus ire parans.
Ergo queîs primis constat res bellica neruis,
Innumeras solers accumularat opes,
Defraudans geniumq; suum, parcusq; fruendi.
Sed conseruandi diuitior studiis.
Nec leuior magnos quæsita effundere in vsus,
Et bene parta bono promere iudicio.
Nam quo diuitiæ? quo gazæ structus aceruus?
Vti congestis ni sciat ars melior.
Hac homo cúmprimis diuinæ particulam auræ
Arte probat, iusto examine munificus.
Cautior hanc itidem postquam circumspicit ille.
Nutanti mundo qua ferat auxilium.

Ecce videt Stephanum belli tùm laude vigentem,
Inconcussum animi, Diis pietate parem.
Cuius vel totus sceptro bene cesserit orbis,
Omnia qui immotus pondera sustineat.
Tùm Stephanus Moschum quatiebat Marte cruento.
Liuonum repetens debita regna sibi.
Victor & Arctoo figebat in orbe trophæa,
Ad Tanaim sæuos propter Hyperboreas.
Gauisus reperisse virum, totóq; profusus
Ergà illum studio, mentéq; tota animi.
Illius in gremiis posuit sua maxima vota.
Qualis sese auri gemma locat gremio.
Nec mora thesauros dites, tot structa talenta,
Pollicitis offert irreuocabilibus.
Et mandat Moschum porrò expugnare ferocem.
Barbaráq; appresso colla domare iugo.
Hinc Deus & melior si sic fortuna tulisset,
Nostrum vt venisses Mosche sub imperium.
Auctior & populis, & plenis viribus ingens,
Concuteret Turcas, concuteretq; Scytham.
Ipsosq; arriperet belli ad commercia Persas,
Communis quos Mars ad socia arma vocat.
Et iam consiliis trepidabat Moschica tellus,
Séq; Asiæ nobis subdita regna dabant.
Nec te iam tuleras Turca importune superbum,
Nec fastu vrgebas bella nefanda tuo.

Cùm

Cùm tu ô sola salus, columenq; ô maxime rerum,
Vnica spes Sixti, atq; vnica Christiadûm,
Subtrahis è mundo te, & lumina morte relinquis.
Et perimis tecum tot bona cæpta simul.
Ipse etiam Sixtus propera te morte secutus.
Cùm tibi non posset iam reperire parem.
Innumeras quámuis mortalia sæcla propages,
Magnorum & iactent nomina multa virûm.
Vnus homo tamen egregiam sæpe instituit rem.
Et sæpe amotus destruit vnus homo.
Nunc tu Sixte pater, Stephano cum rege beato,
Æterna æternùm vesceris ambrosia.
Lætus consiliis communibus, aurea mulcens
Corda ollis, in queîs vel voluisse sat est.
Nos mæsti & trepidi, & deiecti culmine tanto,
Dum venti magnas spes malè dilacerant,
Ad vestra ardentes heu nomina suspiramus.
Anne ferant tales sæcla futura alios.
An veniat quisquam vestigia vestra secutus.
Curet qui obscænum tollere seruitium.
Quod sensim irrepit, tacitáq; ambage propinquat,
Imbelles habili compede collaqueans.
Ceu leporem pauido paccatum corde parúmper,
Virgulti subter tegmine somnus iners
Dum recreat, procul amotâ latrante canum vi,
Securum insidæ pacis in insidiis,

 Callidus

Callidus inuentum plantæ per ſigna triſulcæ
Venator, poſitis retibus inuoluit.
O magnæ, ô diuinæ animæ, ô ſanctiſſima corda,
O genus Heroum, ô vnicus orbis amor.
Vos iuuat æterno, vos carmine compellare.
Vos famâ ſedes tollere ad æthereas.
Præcipuè vos hîc pietate Zamoſcius aurea
Percolit, æternùm & percoluiſſe volet.
Et cùm non liceat ſpirantes cernere coram,
Abſentum ſeſe paſcit ad effigies.
Vsq; animo recolens, quantis tùm conſcius auſis,
Quà ſocius laudum parte futurus erat.
Olim ceu ſonipes animoſa ad prælia natus,
Aſuetus ſonitus acris amare tubæ,
Arduus oppoſitas ſaltu turbare phalanges,
Hoſtem dente audax & pede deijcere,
Tùm ſtabulo incluſus lentè ad præſepia pigra,
Captiuo capiti dura capiſtra gerens,
Si phaleras, ſi fræna ferox ſplendentia ſenſit,
Audijt aut veteris murmura rauca tubæ,
Rectam aurem figit, totosq; aſſurgit in artus,
Lentamq; inſtabili calce retundit humum,
Illuſtri cupidus magnum ſe ferre triumpho,
Hoſtibus aut mediis vulnera ſæua dare.
Fruſtrà nam cupidum retinacula ferrea ſtringunt,
Et vinclûm audaci non ſinit ire via.

Sed

Sed quò prouehimur pulchro sermonis amore?
Talia non istis conueniunt numeris.
Hæc aliàs olim cum suaserit aptior hora.
Implêritq; manum mascula rite chelis.
Iam mensæ amotæ, iam regnant libera vina,
Iam iuuenes quærunt surgere posse toris.
Et quærunt contrà consurgere blanda puellæ
Turba, arrecta quibus mens volat in choreis.
Musica iamq; mele sonuit clarissima signa,
Sponte sua argutum pes micat in numerum.
Cedamus spaciis, morem hunc conuiuia seruant,
Attentosq; demus lusibus vsq; oculos.